



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**D. Bernardi Primi Clarævallensis Abbatis, Ordinis
Cisterciensium Antesignani, melliflui Ecclesiæ Doctoris
Sermones In Dominicis & Festa per annum**

Bernardus <Claraevallensis>

Sermo seu Meditatio In vitam & passionem Domini.

urn:nbn:de:hbz:466:1-39254

tiorum omnium jucunditate suavior eius recordatio sit: *Et dabit tibi petitiones cordis tui, non carnis.*

*Species unde
constat pig-
mentum re-
galis convi-
vii,*

Porro tres sunt species de quibus conficitur pigmentum, quod ad regalis convivii festinam exhilarationem apponitur: triumphalis reditus ab inferis: gloria resurrectionis: confessus ad dexteram Dei Patris. Cibi prædicti confortant: ista verò tria lætificant. Convivantes & invitati in tempore gratiæ præ cæteris Apostoli & Martyres esse creduntur, qui in fortitudine cœlesti & spiritali exultatione non ingrati vel immemores exhibiti à Christo convivii, retribuunt & offerunt de seipsum qualia acceperunt. In desiderio & in agone isto sudant, currunt & laborant: quos elegit Deus ut seipsos hostiam vivam & Deo acceptam exhibeant. Et utinam Christus nobis indulgeat quantulacunque bonorum operum executione, illorum vestigia humiliter adorare; qui est Deus benedictus in sæcula, AMEN.

SERMO SEU MEDITATIO

In Vitam & Passionem Domini.

*Beneficia Chri-
sti morte nobis
collata.*

*Gloria Chri-
stiani in no-
mine Christi.*

IESUM Nazarenum à Judæis innocenter condemnatum, à Gentibus crucifixum, Christiani divinis honoremus obsequiis. Salvatoris infirma nos qui Christiani sumus, reverenter venerari, amanter amplecti, fortiter imitari, dignum est, salubre, & honorificum. Hæc enim sunt instrumenta fortissima in quibus omnipotens virtus & investigabilis sapientia Dei, restaurationem mundi potenter atque mirificè operata est, & usque modo operatus Christus Dominus minoratus est ab Angelis, ut nos æquaret Angelis. Et quis propter Christum non se humiliet? Christus Dominus pro peccatis nostris crucifixus est, & crucem amaram suis amatoribus dulcoravit. Mortuus est, & mortem necavit, ut viveremus per illum. Et quis non amet Christum Dominum? Quis non patiat pro Christo? Christus per crucis ignominiam ad supernæ claritatis gloriam transit, & data est ei pro sua reverentia à Deo Patre omnis potestas in cælo & in terra, ut adorent eum omnes Angeli Dei, & in nomine JESU omne genu flectatur cœlestium, terrestrium, & infernorum. Ubi est gloriatio tua, ô Christiane, nisi in nomine crucifixi Domini Dei tui, & in Christi nomine quod est super omne nomen, in quo qui benedictus est super terram benedicetur? Gloriamini in nomine Filii redemptoris, & date honorem illi Salvatori nostro, qui magna fecit in nobis, & magnificate nomen eius mecum, dicentes.

Adoremus te Christe rex Israel, pariter & gentium, Princeps regum, terræ Dominus, Deus Sabaoth, Virtus omnipotentis Dei fortissima.

Adora-

Meditatio in Passionem Domini. 231

Adoramus te preciosum pretium redemptionis nostræ, Hostiam pacificam, qui sola odoris tui suavitate inæstimabili Patrem qui in altis habitat, ad respiciendum humilia inclinasti, & filiis ita placabilem reddidisti. Tuas Christe miserationes prædicamus; tuæ suavitatis memoriam cum abundantia eructamus. Tibi Christe sacrificium laudis immolamus pro multitudine bonitatis tuæ, quam ostendisti nobis semini nequam, filiis sceleratis & perditis. Cum adhuc inimici tui essemus Domine, & mors iniqua in omnem carnem exerceret dominium, cui omne semen Adam erat obnoxium lege primordialis culpæ: recordatus es verbi misericordiæ tuæ, & prospexisti ex sublimi habitatione tua in hanc vallem plorationis nostræ & miseræ. Vidisti afflictionem populi tui & tactus dulcore charitatis intrinsecus, apposuisti cogitare super nos cogitationes pacis & redemptionis.

Christi miserationes prædicanda.

Et quidem cum esses Filius Dei, Deus verus, Deo Patri, sanctoque Spiritui coæternus & consubstantialis, lucem habitans inaccessibilem, portansque omnia verbo virtutis tuæ: non despexisti in hoc nostræ mortalitatis ergastulum altitudinem tuam inclinare, ubi nostram & gustares, & absorberes miseriam, nosque reparares ad gloriam. Parum fuit charitati tuæ ad consummandum opus nostræ salutis, Cherubim aut Seraphim, aut unum ex Angelis desinare: ipse venire ad nos dignatus es per mandatum Patris, cuius nimiam charitatem experti sumus in te. Venisti, inquam, non locum mutando, sed præsentiam tuam nobis per carnem exhibendo. Venisti à regali solio sublimis gloriæ tuæ in humilem & abjectam in oculis tuis puellam pio virginalis continentiae voto sigillatam, in cuius sacro utero sola Spiritus sancti inenarrabilis virtus te concipiebat, & nasci in veræ humilitatis natura: ita ut nec divinitatis in te maiestatem, nec virginitatis integritatem in Matre violaret nativitatis occasio. O amanda, ô admiranda dignatio! Deus immensæ gloriæ, vermis contemptibilis fieri non despexisti. Deus omnium, conservus servorum apparere voluisti. Parum tibi visum est Patrem te nobis esse & Dominum, frater noster esse dignatus es. Et tu Domine universorum, qui nullam habes indigentiam, intra ipsa nativitatis tuæ initia non abhorruisti abjectissimæ paupertatis degustare incommoda. Ut enim ait Scriptura, Tibi cum nascereris, *non erat locus in diversorio*: neque cunabula, quæ teneritudinem tuam exciperent, habuisti: sed sed in vili præsepio sordentis stabuli, tu qui terram palmo concludis, involutus panniculis reclinatus es. Et hoc ipsum à brutis animalibus Mater tua mutuo accepit. Consolamini, qui in sordibus paupertatis enutrimini, quia vobiscum **DEUS** in paupertate. Non cubat in deliciis splendidi cubiculi,

Christi humilitas in incarnatione.

Christi in Nativitate paupertas.
Luc. 2.

Daceat nos tenera despiciere.

nec invenitur in terra suaviter viventium. Quid ultra gloriaris ô dives, lutea res in volutabro lecti picti & delicati, cum Rex regum recubitu suo pauperum stramenta honestare maluerit? Quid dura stramenta detestaris, cum tener infantulus, in cuius manu sunt omnia, tuis sericis, tuis plumis duras jumentorum stipulas præelegerit?

Sed hæc tenella tua, Christe, infantia à persecutorum gladiis tuta non fuit. Adhuc enim inter dulcia Matris ubera fugens dependebas, quando apparuit Angelus in somnis Joseph, dicens: *Surge, & accipe Puerum & Matrem eius, & fuge in Ægyptum, & esto ibi, usquedum dicam tibi. Futurum est enim, ut Herodes querat puerum ad perdendum eum.* Jam ex tunc, bone JESU, dura pati cœpisti. Nec solum illam infantia tuæ vexationem in teipso pertulisti, sed mortem in pusillis tuis, quorum multa millia inter mammillas matrum pro te, Herodis trucidavit immanitas.

a Matth. 2. Persecutio & fuga Christi in Ægyptum.

Christus duodennis in templo inter Doctores. Christus Parentibus subditus.

Infantia verò teneriori decursa, humiliter veritatis nobis exemplum tribuisti. Non enim sedisti cum consilio vanitatum, sed in medio doctorum, interrogans & audiens illos, cum tamen Dominus scientiarum esses atque sapientia Dei Patris. Sed & obedientia nobis formam tribuisti, dum parentum imperio tu imperator mundi humiliter subditus exististi. At ubi robustioris ætatis plenitudo advenit, missurus manus ad fortia, egressus es in salutem populi tui ut gigas magnificus ad currendam viam totius nostræ miseriæ.

A Ioanne baptizatur.

In deserto ieiunans, tentatur.

Predicans, & docens varia passim signa edit.

Et quidem ut per omnia te primum fratribus adsimilares, servum tuum baptizantem peccatores in pœnitentiam, tanquam peccator adisti, baptizari te postulasti innocens Agne Dei, quem nulla peccati stilla unquam maculavit. Baptizatus autem non te in aquis, sed aquas in te sanctificas, ut per eas sanctificares nos. De baptismo in desertum in spiritu fortitudinis egressus es, ut vitæ solitariae in te non deesset exemplum. Solitudinem ac ieiunium quadraginta dierum, famis acerbiteratem, tentamenta & illusiones spiritus æquanimiter tolerasti, ut hæc omnia nobis tolerabilia efficeret. Demum venisti ad oves quæ perierant domus Israel, divini verbi lampadem extollens palam ad illuminationem orbis terræ, & regnum Dei cunctis annuncians obtemperantibus verbo, sermonem sequentibus signis confirmasti, virtutem divinitatis in cunctis ostendisti, malè habentibus, & omnia omnibus gentibus gratis exhibens, quæ saluti peccatorum congruerent, ut omnes lucrifaceres. Sed obscuratum est insipiens cor eorum Domine, & proiecerunt sermones tuos retrorsum, neque attenderunt ad omnia mirabilia tua Domine quæ operatus es in eis, exceptis per paucis nobilibus Athleticis, quos inter infirma mundi elegisti & abiecta, ut per ipsos fortia & alta mirificè expugnares. Nec solum in-

grati

Meditatio in Passionem Domini. 233

grati gratuitis beneficiis tuis extiteres, sed contumeliis affecerunt te Domine dominantium, & fecerunt tibi quæcunque voluerunt. Te enim faciente opera DEI, quæ nemo alius fecit, quid dixerunt? *Non est hic homo à DEO, in principe demoniorum eiecit demonia, demonium habet, seducit turbas, vorax est, potator vini, & amicus publicanorum & peccatorum.* Quid fles, quid suspiras, ô homo, dum sustines verborum injurias? Non audis quanta adversus Dominum Deum tuum ceciderunt opprobria propter te? Si Patrem familias, Beelzebub vocaverunt, quanto magis domesticos eius? Sed hæc quidem & similia blasphemantes, & aliquoties te lapidibus impetentes, JESU bone, patienter sustinuísti, & factus es coram eis sicut homo non audiens, & in ore non habens redargutiones.

Novissimè justum sanguinem tuum à discipulo tuo, filio perditionis traditum triginta argenteis apreciati sunt, ut præcipitarent animam tuam in morte sine causa. Et te quidem perditissimi traditoris tui perfidia non latebat, quando in cœna ablutionis etiam coram ipso genuflexus procumbens, maledictos pedes eius, veloces ad effundendum sanguinem tuum, sanctissimis manibus tuis attrectare, lavare & extergere dignatus es. Cur autem adhuc extento collo ambulas ô terra & cinis? Adhuc te superbia elevat? Adhuc te impatientia exagitat? Intuere humilitatis & mansuetudinis Dominum JESUM, universæ creaturæ factorem, tremendum Judicem vivorum & mortuorum, ante pedes hominis & traditoris sua genua incurvantem. Disce quia mitis est & humilis corde, & confundere in superbia tua, & erubescere in patientia sua. Hoc quoque erat mansuetudinis tuæ Domine, perfidum illum in cœtu fratrum detegere, & palam confundere noluísti, leviter admodum accelerare jussisti quod parabat. In omnibus his non est adversus furor eius à te, sed egressus foras fatagebat circa frequens maleficium. Quomodo cecidisti de cœlo Lucifer, qui manè oriebaris? In deliciis paradisi gloriosus apparuísti: civium cœli socius, & Verbi divini conviva, quomodo reputatus es inter filios tenebrarum? Qui nutrebaris in croceis, cur amplexatus es stercora? Tunc clarificata est familia tua Christe, exeunte immundo de cœtu societatis angelicæ. Tunc demum divini eloquii uberrima inundatione felix ille conventus potatus est, eiecto quem huiusmodi limpidi liquoris infusione sciebas indignum.

Dato autem charitatis & patientiæ salutari mandato, & disposito fratribus regno Patris tui, ad locum proditori tuo notum cum illis divertísti, sciens omnia quæ ventura erant super te. Ibi animæ tuæ tristitiam quam ex imminente passione tua sponte assumpsisti, sicut & cætera quæ passus es, in auribus fratrum non erubuísti profiteri, dicens tunc ^b: *Tristis est ani-*

Christus ab impiis innumeras patitur calumnias.

Et Christianus erit immunis?

Christus à proprio discipulo venditur.

Christi ludam lavantis miram humilitas, & mansuetudo.

Jude perfidia & obstinatio.

Christus in horto orans, & tristis.

b Matt. 14.

est ani-

*Christi maror
& sudor san-
guineus.*

*Ad nostram
cedit consola-
tionem.*

*Christus spon-
taneus ad Pas-
sionē & mor-
tem ivit.*

*Non aver-
satur osculum
Iudæ.*

*Christus capi-
tur & liga-
tur.*

*Sistitur Con-
cilio sacerdo-
tibus.*

est anima mea usque ad mortem. Positis quoque in terra genibus proci-
disti in faciem, orans in agonia, & dicens: *Mi pater, si possibile est, transeat
à me calix iste.* Et angustias quidem cordis tui certissimè indicabat sudor
ille sanguineus, qui orationis tempore de carne tua sanctissima guttatim
decurrebat in terram. Dominator Domine Jesu, unde tua hæc tam an-
xia supplicatio? Nonne voluntariè omnino Patri sacrificium obtulisti?
Utique Domine. Arbitramur autem quod hoc ad consolationem infir-
morum membrorum tuorum assumpsisti, ne forte desperet quis si caro in-
firma remurmurat: ubi ad passionem promptus est spiritus. Nimirum
ut majoris erga te amoris & gratitudinis stimulos habeamus, naturalem
carnis infirmitatem his indiciis in te expressisti, quibus doceremur quia
verè languores nostros portasti, & non absque sensu doloris passionum
fentes percurristi. Vox enim illa vox esse carnis videtur, non spiritus, ex
eo quod subiunxisti: *Spiritus quidem promptus est, caro autem infirma.*

Quòd promptus enim ad passionem fuerit spiritus, evidenter osten-
disti, quando venientibus unà cum proditore tuo viris sanguinum, &
quærentibus animam tuam cum laternis, & facibus, & armis per noctem,
ultrò occurristi, & ne quid acciperent à duce flagitii, te ipsum manifesta-
sti. Nam accedentem ad osculum sanctissimi oris tui trucem bestiam aver-
satus non es, sed os in quo dolus inventus non est, ori quod abundavit ma-
litia, dulciter applicuisti. Innocens Agne Dei, quid tibi & lupo illi?
Quæ conventio tui ad Belial? Sed & hoc benignitatis tuæ Domine fuit,
ut omnia illa exhiberes quæ pravi cordis pertinaciam emollire possent.
Nam & veteris amicitia non immemor illum commonuisti, dicens: *A-
mice, ad quid venisti?* Atque horrore sceleris sui cor impij ferire voluisti,
eum dixisti: *Iudæ, osculo filium hominis tradis?* Et ecce Philistæi super te
Samson. Non illos à te absterruit, quòd in hora apprehensionis tuæ o-
mnipotentis brachio tuo terræ eos allisisti, non quidem defensionis causa,
sed ut cognosceret humana præsumptio nihil se posse adversus te, nisi
quantum permetteretur à te.

Et quis audiat sine gemitu qualiter homicidas manus in illa hora in
te iniecerunt, & innocentes manus tuas, JESU bone, vinculis adstringen-
tes, te Agnum mansuetissimum nihil loquentem ad instar latronis contu-
meliosè traxerunt ad victimam? Et nec tunc misericordiam effundere su-
per inimicos tuos, & distillare favum dulcedinis tuæ Christe cessa-
sti, ac defensoris tui zelum à læsione trahentium te compescuisti. Maledictus fu-
ror eorum, quia pertinax, quem nec maiestas miraculi, nec pietas be-
neficii potuit confringere. Concilio malignantium adversum te Pon-
tificum præsentatus es, & veritatem prout oportuit confessus, quasi de
blasphem-

Meditatio in Passionem Domini. 235

blasphemia adiudicatus es morti. Amantissime Domine, quanta illic indigna à propria gente pertulisti? Vultum tuum desiderabilem, in quem desiderant Angeli prospicere, qui omnes coelos adimplevit lætitia, quem deprecabuntur omnes divites plebis, polluti labiis suo sputo coinquinaverunt, sacrilegis manibus suis ceciderunt, velo in derisum operuerunt, *Conspuitur & colaphizatur.* & te Dominum universæ creaturæ tanquam servum contemptibilem colaphizaverunt. Adhuc autem animam tuam incircuncisæ carni deglutiendam tradiderunt.

Vinctum siquidem ante faciem Pilati perduxerunt, postulantes crucis supplicio te interimi, qui peccatum non noveras, & virum homicidam dari sibi, Agnum lupo, aurum luto postponentes. O indignum & infœlix commercium! Et quidem nec ignorabat impius ille per invidiam hæc in te fieri, nec tamen abstinuit à te temerarias manus, sed replevit animam tuam amaritudine sine causa. Illusum recepit, in conspectu illorum astare te iussit, nec pepercit amarissimis verberibus virgineam carnem tuam divellere, plagis plagas, livores livoribus crudeliter infligere. Electe puer Dei mei, quid tanta amaritudine, quid tanta confusione dignum commiseras? Prorsus nihil. Ego, ego homo perditus, totius perditionis tuæ causa extiti. Ego Domine, uvam acerbam comedi, & dentes tui obstupuerunt: quia quæ non rapuisti, tunc exolvebas. In omnibus his non est satiata perfidorum Judæorum impietas. *Pilato presentatur. Flagellatur.*

Novissimè autem incircuncisorum militum manibus devolutus es morte turpissima consumendus. Parum erat sacrilegis illis crucifigere te, nisi prius & ipsi illusionibus replevissent animam tuam. Quid enim ait de illis Scriptura? *Et congregaverunt ad eum universam cohortem. Et exuentes eum vestimentis suis, induerunt tunicam purpuream, & chlamydem coccineam circumdederunt ei. Et plectentes coronam de spinis, imposuerunt capiti eius, & arundinem in dextera eius; & genu flexo illudebant ei, dicentes: Ave rex Iudæorum. Et dabant ei alapas, & expuentes in eum, accipiebant arundinem, & percutiebant caput eius. Et postquam illuserunt ei, induerunt eum vestimentis suis, ut crucifigerent bajulantem sibi crucem. Et perducunt eum in Golgotha, & vinum myrrhatum dabant ei bibere cum selle mixtum, & cum gustasset, noluit bibere: Tunc crucifixerunt eum, & cum eo duos latrones, hinc & hinc, medium autem Iesum. Iesus autem dicebat: Pater dimitte illis, quia nesciunt quid faciunt. Postea sciens Iesus, quia consummata erant omnia, ut Scriptura impleveretur, dixit: Sitio. Et currens unus ex eis acceptam spongiam implevit aceto, & imposuit arundini, & dabat ei bibere: Cum ergo accepisset acetum, dixit: Consummatum est. Et clamans voce magna, dixit: Pater in manus tuas commendo spiritum meum. Et inclinato capite* *Christus illusionibus repletur. c Matt. 27. Luc. 23.*

Sermones S. Bernardi.

Gg

pite

pite emisit spiritum. Tunc unus militum lancea latus eius aperuit, & continuo exiit sanguis & aqua in redemptionem nostram salutis.

Christus coronatus, sed & cruciatus.

Crucem suam baiulat.

Orat in Cruce pro malefactoribus.

In Cruce pendet inter latrones.

Matth. 27.

Prodigia in morte Christi.

Expurgare nunc anima, excutere de pulvere, & contemplare Virum hunc memorabilem, quem in speculo Evangelici sermonis quasi presentem intueris. Attende Anima mea, quis est iste qui ingreditur habens imaginem quasi regis, & nihilominus servi despectissimi confusione repletus & coronatus incedit: sed ipsa etiam eius corona cruciatus est illi, & mille puncturis speciosum caput eius divulgavit. Regali purpura induitur, sed potius in ea despicitur, quam honoretur. Sceptrum in manu gestat, sed eo ipso caput eius reverendum feritur. Adorant coram ipso positus in terra genibus, & regem clamant: & continuo sputis amabiles eius genas sublinunt, maxillam palmis & honorabile collum exhonorant. Vide anima mea qualiter vir iste per omnia conturbatur & spernitur, sub crucis onere dorum incurvare videtur, & tuam ipse portare ignominiam. Ad locum deductus supplicii, myrrha potatur & felle, in cruce sublevatur, & dicit: *Pater, ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt.* Qualis est hic, quod in omnibus pressuris suis nec semel aperuit os suum, ut aut querelae, aut excusationis, aut comminationis, aut maledictionis verbum advertus maledictos canes illos proferret? Sed novissime verbum benedictionis super inimicos suos quale a saeculo non est auditum, effudit. Quid hoc viro manuetius? quid benignius anima mea vidisti?

Adhuc autem attentius intuere, quam grandi admiratione, & tenerima compassione dignus apparet. Vide nudum & verberibus laceratum, in medio latronum crucis ignominiosae ferreis clavis affixum, aceto in cruce potatum, & post mortem lancea in latere vulneratum, & copiosos sanguinis rivus ex quinque vulneribus manuum, pedum, & lateris effundentem. Fletus deducite oculi mei, & liquece anima mea igne compassionis super contritione amabilis viri huius, quem in tanta amaritudine tot vides affectum doloribus.

Et jam quidem infirma eius, Anima mea, vidisti, & miserta es: nunc maiestatem eius attende, & miraberis. Quid enim ait Scriptura ^d? *A sexta autem hora tenebra factae sunt super universam terram usque ad horam nonam. Et obscuratus est sol, & velum templi scissum est a summo usque deorsum, & terra mota est, & petrae scissae sunt, & monumenta aperta sunt, & multa corpora sanctorum qui dormiebant surrexerunt.* Qualis est hic, quia & coelum & terra compatiuntur ei, cuius & mors mortuos vivificat? Cognosce anima mea, cognosce, hic est Dominus Deus noster, JESUS Christus Salvator tuus, unigenitus Dei filius, verus Deus, verus homo: qui solus sub sole sine macula inventus est. Et ecce cum sceleratis

Meditatio in Passionem Domini. 237

ratis quomodo reputatus est ^e, & quasi leprosus, novissimus virorum ^e Esti. e Esa. 53.
 matus: & tanquam abortivum quod projicitur à vulva, sic projectus est ab
 utero matris suæ, in foelicis Synagoga. Ille formosus præ filiis hominum,
 quàm deformis factus est! Hic vulneratus propter iniquitates nostras,
 attritus est propter scelera nostra, & factus in holocaustum suavissimi o-
 doris in conspectu tuo, Pater aternæ gloriæ, ut averteres indignationem
 tuam à nobis, ut confidère nos sibi faceret in cœlestibus.

Respice Domine sancte Pater de sanctuario tuo, & de excelso celo-
 rum habitaculo, & intuere hanc sanctam hostiam, quam tibi offert magnus
 Pontifex noster, sanctus puer tuus Dominus JESUS pro peccatis fratrum
 suorum, & esto placabilis super multitudine malitiæ nostræ. Ecce vox
 sanguinis fratris nostri JESU clamat ad te de cruce. Quid enim Domi-
 ne: quid pendet in ea? Pendet, quia præterita tanquam præsentia coram
 te sunt. Cognosce Pater tunicam veri filii tui Joseph. Heu *sera pessima*
devoravit eum ^f, & conculcavit in furore suo vestimentum eius, omnem
 decorem eius reliquiis cruoris inquinavit. ^f Genes. 39.
 Ecce quinque scissuras la-
 mentabiles in ea reliquit. Hoc est Domine vestimentum quod in ma-
 nu Ægyptiæ meretricis innocens puer tuus dereliquit, meliorem æsti-
 mans jacturam pallii, quàm pudicitia, magisque eligens spoliatus carnis
 pallio in carcerem mortis descendere, quàm pro mundi gloria adulteri-
 næ voci acquiescere. Illi inquam voci quia dictum est ^g: *Hæc omnia*
tibi dabo, si cadens adoraveris me. Quod utique esset, si dormiret cum
 adultera. ^g Matt. 4.

Et nunc Domine Pater, scimus quia ipse Filius tuus vivit, & do-
 minatur in tota terra Ægypti, & in omni loco dominationis tuæ. Eductus
 enim ad imperium tuum de carcere mortis & infernorum, & attonsus in
 immortalitatis coronam; mutata est veste carnis, immortalitatis decore
 refulsit, cum gloria suscepisti eum. Subjugavit enim sibi Pharaonis
 imperium, & cum triumpho nobili, virtute propria cœlos penetravit. Et
 ecce gloria & honore coronatus, in dextra maiestatis tuæ adlittit vultui
 tuo pro nobis. Caro enim & frater noster est, Respice Domine in fa-
 ciem Christi tui, qui tibi usq; ad mortem obediens factus est: nec rece-
 dant ab oculis tuis cicatrices eius in perpetuū, ut memineris quantum ab
 eo pro peccatis nostris satisfactionem receperis. Utinam Domine appen-
 das in statera peccata, quibus iram meruimus, & calamitatem quam pro
 nobis passus est innocens Filius tuus: certè gravior apparebit & magis
 digna, ut propter ipsam effundas super nos misericordiam tuam, quàm
 fuit illa ut pro peccatis nostris contineas in ira misericordias tuas. Gra-
 tias tibi Pater referat omnis lingua pro superabundantia bonitatis
 tuæ;
 Gg 2

*Aspiratio ad
Deum Patrem
ob passionem
Filii.*

f Genes. 39.

g Matt. 4.

*Christus iam
in Cælo gloria-
sus regnat.*

*Advocatus
noster apud
Patrem.*

tua; qui unico Filio cordis tui non pepercisti : sed pro nobis omnibus illum tradidisti in mortem , ut eum tanquam fidelem Advocatum haberemus coram te in coelis.

*Aspiratio &
gratiarū A-
ctio ad Christū
Salvatorem.*

Et tibi Domine JESU fortissime zelotes , quid gratiarum retribuam , ut dignè retribuam ego homo pulvis & vile figmentum ? Quid enim pro mea salute facere debuisti , & non fecisti ? Ab imo pedis usque ad summum verticis te totum in aquas passionum demersisti , ut me totum extraheres de illis , & intraverunt usque ad animam tuam . Nam & animam tuam in mortē perdidisti , ut meam perditam mihi redderes . Et ecce me duplici debito obligasti . Nam & pro eo quod dedisti tuā , debitor tibi sum : & pro mea quidē anima , bis à te mihi data , semel in creatione & semel in redemptione , quid magis justè tibi reddā , quàm ipsam , non habeo . Pro tua autem preciosa anima ita contribulata quid ab homine dignè rependi possit , non invenio . Nam etsi cœlum & terram & omnem ornatum eorum pro ea possem rependere , certè nec sic usq; ad mensuram debiti ulatenus attingere possem . Ut autem ipsum quod & debeo , & possibile mihi est retribuam : tui Domine muneris est .

*Adoratio
Crucifixi , &
instrumento-
rum Passionis .*

Diligendus es , mi Domine , toto corde , tota anima , tota virtute , & tua mihi sequenda vestigia , qui pro me mori dignatus es . Et quomodo fiet istud in me nisi per te ? Adhæreat anima mea post te : quia tota virtus eius pendet ex te . Et nunc Domine redemptor meus , te ut verum Deum adoro , in te confido , te spero , & quibus possum desideriis ad te suspiro , adjuva imperfectum meum . Ad tuæ passionis gloriosa insignia , in quibus salutem meam operatus es totum inclino . Tuæ victoriosæ crucis regale vexillum in nomine tuo Christe adoro . Tuum spineum diadema , tuos rubentes sanguine clavos , tuo sacro lateri immerfam lanceam , tua vulnera , tuum sanguinem , tuam mortem , tuam sepulturam , tuam gloriosam & victoriosam resurrectionem & glorificationem Christe supplex adoro & glorifico . Odor enim vitæ spirat mihi in omnibus his . Horum vivifico odore spiritum meum Domine à peccati morte resuscita . Horum virtute ab astutiis Satanæ me custodi , ac me conforta , ut jugum mandatorum tuorum suave mihi fiat , & onus crucis quod post te bajulare me jubes , humeris animæ meæ sit leve . Quæ est enim fortitudo mea , ut juxta præceptum tuum mundi pressuras tam multiplices invicto animo sustineam ? Nunquid pedes mei tanquam cervorum , ut velocem cursorem per spinas & confragosa passionum consequi valeam ?

*Passionis Christi
quomodo
debeamus esse*

Sed audi vocem meam , & inclina super servum tuum suavem crucem illam , quæ lignum vitæ est iis qui apprehendunt eam ; ut spero , curram alacriter , portabo infatigabiliter , eam quæ ab inimicis est crucem post

Meditatio in Passionem Domini. 239

post te. Illam, inquam, divinissimam crucem humeris meis impone, cuius latitudo est charitas, cuius longitudo est æternitas, cuius sublimitas est omnipotentia, cuius profundum est inscrutabilis sapientia. Confige illi manus meas & pedes meos: & totum passioni tuæ conforma servum tuum Domine. Da obsecro mihi continere ab operibus carnis quæ odisti, & facere justitiam quam dilexisti, & in utroque tuam quærere gloriam, & sinistram quidem meam clavo temperantiæ, dexteram verò clavo justitiæ in illa sublimes cruce fixas arbitror. Da menti meæ jugiter meditari in lege tua, & omnem cogitatum meum jactare in te, & dextrum pedem eidem ligno vitæ clavo prudentiæ affige. Da ut sinistram spiritus mei sensualitatem non enervet labentis vitæ infelix sceleritas, non conturbet præsentis vitæ infelicitas, felix & sinister quoque meus fortitudinis clavo in cruce tenebitur.

*Socii ut simus
& consolatio-
nis.
Qualis Crux
Christiani.*

Ut autem aliqua similitudo spinarum capitis tui in me appareat, detur obsecro menti meæ & salutaris pœnitentiæ compunctio, & alienæ miseriæ compassio, & stimulus zeli æmulantis, quod rectum est coram te, & ad te convertar in ærumna mea, dum triplex configetur spina. Libet ut spongiam per arundinem ori meo porrigas, & aceti amaritudinem gustui meo abhibeas. Libet ut per Scripturas tuas rationi meæ conferas gustare, & videre quoniam florens hic mundus tanquam spongia inanis est, & omnis concupiscentia eius aceto amarior. Ita Pater in me fiat calix iste Babylonis amarus in omnem terram, non inani flore seducat, non falsa dulcedine inebriet, quemadmodum eos qui tenebras lucem, lucem tenebras, amarum dulce, & dulce amarum arbitrantur. Vinum myrrhatum cum felle mixtum suspectum mihi est: pro eo quòd tu ex eo bibere noluisti, quia nimiam acerbicatem invidiæ & nequitiae crucifixorum tuorum indicabat. Tuæ vivificæ morti tuum servum Domine configura, faciens quidem in me ut moriar secundum carnem, vivam autem secundum spiritum justitiæ.

*Que corona
spinea.*

Que spongia.

Ut autem integram Crucifixi imaginem me portare glorier, illud quoque quod post mortem tuam infatiabilis malitia impiorum in te exerceat, hanc in me similitudinem exprime. Vulneret cor meum vivus & efficax sermo tuus, penetrabilior omni lancea acutissima, pertingens usque ad divisionem animæ meæ, & producens ex ea tanquam de dextero latere meo vice sanguinis & aquæ amorem tuum Domine, & fratrum tuorum. Postremò & munda sindone primæ stolæ spiritum meum involve, in quo requiescam egrediens & ingrediens in locum tabernaculi admirabilis, & abscondas me donec pertranseat furor tuus. Die autem tertio per diem laboris, per diem supplicii, mane prima sabbathi per-

*Apertio La-
teris post mor-
tem quomodo
instanda.*

*Quid resur-
rectio.*

petuò inter filios tuos me indignum resuscita, ut in carne mea videam claritatem tuam, & implear lætitia vultus tui. O Salvator meus, & Deus meus, veniat oro tempus ut quod nunc credo, oculis tandem revelatis aspiciam: quod spero nunc & à longè saluto, apprehendam. Quod pro viribus meis desidero, ulnis animæ meæ amplectar & deosculer, & in maris tui abyssum totus absorbear. O Salvator meus, & Deus meus.

*Praclara
Christi enco-
misa ob eius
in nos amo-
rem.*

Sed benedic anima mea Deum Salvatorem meum, & magnifica nomen eius. Sanctum est enim, & sanctissimum deliciis plenum. O quàm bonus, quàm suavissimus es Domine JESU, animæ quærenti te, JESU redemptor perditorum, salvator redemptorum, spes exulum, fortitudo laborantium, anxianti spiritus latitudo, animæ lachrymosæ & post te currentis in sudore solatium & suave refrigerium, corona triumphantium, unica merces & lætitia omnium superiorum civium, uberrimus fons omnium gratiarum, inclyta proles summi Dei, & Deus summus, benedicant te omnia quæ in caelo sunt sursum, & quæ in terra deorsum. Magnus tu, & magnum nomen tuum. O immaculabilis decor Dei excelsi, & purissima claritas lucis æternæ, vita omnem vitam vivificans, lumen illuminans, lux omne lumen illuminans & conservans in æterno splendore! Mille millena lumina fulgurantia ante thronum divinitatis tuæ à primo diluculo. O æternum substantiale & inaccessible, clarum & dulce profluvium fontis absconditi ab oculis omnium mortalium, cuius unda sine ortu, cuius profundum sine fundo, cuius altum sine termino, cuius amplitudo incircumscrutabilis, cuius puritas imperturbabilis. Eructavit te cor Dei altissimi de sua impenetrabili abyssu, vita vitam, lux lucem, æternus æternus, immensus immensum, & per omnia sibi coæqualem: & de plenitudine tua nos omnes accepimus.

Tu enim largissime fons omnis boni, septemplex gratiæ preciosum flumen de thesauris tuis emittis, cuius suavi dulcore huius nostri maris, id est, nostræ infirmitatis falsuginem mitigare dignaris. Flumen olei lætitiæ, flumen vini meracissimi, torrens ignei vigoris. Spiritus paracletus à te & Patre, par utique, in orbem terræ perfunditur, omnia replens, omnia continens: Spiritus à Te, Spiritus à Patre, unus ex ambobus, unicus, unum gluten, complexus indissolubilis, & pax omnem sensum exuperans. Hic est torrens voluptatis tuæ Domine, qua delicatam illam & gloriosam civitatem Hierusalem, quæ sursum est, jugiter potas, lætabunda ebrietate facis æstare, ut tibi jubilent hymnum ineffabilem lucida illa & flammea organa in voce exultationis & sono epulantis, cuiusque desiderabilibus guttis refocillari sitibundæ fauces exulis populi tui jugiter à te expectant Domine. Si-
nito

Meditatio in Passionem Domini. 241

nito Pater, ut catelli bibant de stillis quæ cadunt de mensa dominorum suorum. *Foratè cali desuper, & nubes pluant justum illum, Domine, quem æstuare fecisti.* Inclytas primitias populi tui, insigne solemnitatis nostræ illo, quæsumus igneo stillicidio purga, innova, illumina, inflamma, exhilara & confirma; & uni cor credentium tibi, ut unum sint, unum sapiant, unum unanimiter requirant, ut apprehendant, & videant, & benedicant te DEUM deorum in Sion. Sit individua Trinitati gloria, gratiarum actio, honor, & imperium in sæcula sæculorum, Amen.

IN DIE SANCTO PASCHÆ.

De septem signaculis quæ solvit Agnus.

S E R M O I.

Vicit Leo de tribu Juda ^a. Vicit planè malitiam sapientia attingens à ^a Apoc. 5.1. fine usque ad finem fortiter, & suaviter universa disponens: sed pro me fortiter, suaviter mihi. Vicit Judæorum blasphemias in patibulo, fortem armatum alligavit in atrio, & de ipso mortis imperio triumphavit. Ubi enim sunt opprobria tua Judæe? ubi sunt fabulæ vasa captivitatis? *Insignes Christi ubi est mors victoria tua? Confusus est calumniator, raptor spoliatus est.* ^b *st. victoria.* Novum genus potentia, hætenus victoriosa mors obstupescit. Quid tu Judæe? qui pridie ante crucem agitabas caput sacrilegum? quid sacrum hominis Christi caput exagitabas opprobriis? *Christus, inquit* ^b, *rex Israel* ^b Matt. 27. *descendat de cruce.* O venenata lingua, verbum malitiæ, sermo nequam. Non est hoc Caipha quod paulò antè dicebas: *Expedi ut unus moriatur homo pro populo, & non tota gens pereat* ^c. At illud, quia mendacium non ^c Ioan. 11. b. erat, non loquebaris de proprio, non à temetipso dicebas. *Si rex Israel est, descendat de cruce* ^d, hoc planè tuum est: magis autem eius qui mendax ^d Matt. 27. est ab initio. Quid enim consequentiæ videtur habere, ut descendat, si rex Israel est? & non magis ascendat? Sic non meministi serpens antique, quam confusus abscesseris olim cum dicere præsumpisses: *Mitte te deor-* ^e Matt. 4. a. *sum, & Hæc omnia tibi dabo, si procidens adoraveris me?* Sic tibi Judæe excidit quod audisti, quia *Dominus regnavit à ligno* ^f, ut regem abneges, quia ^f Psal. 95. c. *manet in ligno?* Sed forsitan nec audisti, quia non Judæis, sed nationibus hæc annuntiatio debebatur. *Dicite, inquit, in nationibus, quia Dominus regnavit à ligno.*

Merito proinde titulum regni præses gentilis inscripsit ligno, nec potuit Judæus (ut voluit) conumpere tituli inscriptionem, nedum impedire Dominicam passionem, & nostram redemptionem. *Descendat* ^{CHRISTI in} *(inquit* ^{Cruce & o-}